



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigessimvm-Octavvm De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

Quid, & qualis sit impotentia ad Matrimonium. §. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

hunc esse legatum, ut docuit Sanch. *dicta disp. 91. num. 59.* Gutier. de matr. cap. 11. num. 9. cum Couaruu. & Mantica *supra*. Nam tempore conditi testamenti illud legatum referri non poterat ad uxorem postmodum assumptam, quia illi testator neque affectus erat, nec dum illius cogitationem habere poterat, postmodum vero nullum huius relationis indicium dedit, nam persecerantia in priori actu potius huius relationi aduersatur, quam fouet, quippe ea dispositio secundum uxori aptari nequit, nisi ex voluntate testatoris ex prima in secundam uxorem subrogatio fiat.

Temperat autem hanc doctrinam Barbosa in leg. diuorito. §. 3. num. 10. *off. soluto matrimonio*, quem sequitur Sanch. *d. disp. 91. num. 60.* ne procedat in legato alimentorum, seu alio quouis uxori favorabili, quia concurrente duplici favore scilicet viciniae voluntatis, & rei legatæ presumendū est testator secundum uxorem loco prioris subrogare voluisse. Et placet hanc limitatio.

12. **Questio septima, quibus conferendum sit legatum annuum maritandis feminis relictum?**

Esti Ripa, Decius, & Syluest. relati à Sanch. *dicta disp. 91. numero 54.* videantur sentire feminis secundo nubentibus conferri hoc legatum posse. At longe verius est, & omnino tenendum solis feminis primò nubentibus esse conferendum, quia ea testatoris verba de solis primis nuptiis intelligi debent. Arg. leg. *bonæ fidei sermo. ff. de verbor. significat. ibi: hoc sermo, dum nuptia erit, prima nuptia significatur.* Et ibi Tiraquei. plures referens n. 11. Et docuit Bartol. in proximo de *re al. num. 25.* Guilielem. Benedic. *cap. Raynucius. verbo qui cum alia. num. 79.* de Testamentis Mantica de *coniectur. ultim. volunt. lib. 8. tit. 5. num. 21.* Gutier. de matr. cap. 11. num. 7. Sanch. alius relatis *disp. 91. num. 57.*

Hanc doctrinam Sanch. cui Gutier. adheret variis modis temperat; primò ne procedat in vidua, quæ prius matrimonium non consummauit, nam comparatione huius secundæ nuptiæ primæ censeri debent, nam nuptiæ quæ consummata non sunt nuptiæ integræ, & perfectæ non appellantur. Secundò ne procedat in vidua, cuius prius matrimonium irritum fuit, quia præstare non debet impedimentum quod de iure non sortitur effectum, neque illa vidua secundo nubis, cum primæ nuptiæ, vtpotè irritæ, nuptiæ non sunt. Tertio temperat ea quæ nullæ essent feminæ ætate nubiles, nam cum hoc legatum positum quod personæ determinatæ factum non sit exigat necessarium, ut persona, cui est concedendum habilis sit ad matrimonium, in cuius finem conceditur ex communi sententia tradit Bald. in leg. *sancimus in fine Cod. de nuptiis. Garton. Rub. Cod. de secundis nuptiis. num. 5.* deficientibus illis feminis viduæ concedi potest ex verosimili testatoris mente ne opus pium differatur. Quod si legatum certæ personæ factum sit, quæ tamen duodecim annuum nacta non est, alteri applicari nequit, quia testator eam personam determinatè designans dilatori legati tradendi consentit. Quippe legatum, quouisque femina nuptiis apta sit concedi non debet, quia non virget causa, ob quam factum est, ut bene docet Mantica lib. *de coniectur. ultim. volunt. tit. 2. num. 5.* Sanchi *disp. 91. num. 61.*

13. **Feminis autem iam maritatis etiam pauperibus legatum pro feminis maritandis non videtur concedi posse,** quia deficit hinc testatoris, quippe testator legato intendit, ut feminæ defectu dotis in nuptiis sit, neque eam pudicitia periclitetur, quæ ratio in feminis maritatis cessat. Atque ita sustinent Bald. in leg. *fin. num. 21. Cod. de sentent. quæ sine certa quantitate. lason leg. quominus. num. 13. vers. quinto pro eadem parte ff. de summo. Perez lib. 5. ordinan. tit. 2. leg. 1. vers. dubium est. Sanch. dicta disputat. 91. num. 64. Gutier. cap. 11. num. 10.*

14. **Veni si hoc legatum certæ personæ, ut in matrimonium collocatur relictum sit, ipsaque viuo testatore, ipsoque ignorantè nupserit, censet Mantica de coniectur. ultim. volunt. lib. 12. tit. 1. num. 13.** legatum perire, quia deficit finis, ob quem est concessum. Secus vero (inquit) si conscio testatore nupserit, quia ex eo quòd testamentum non mutauit, cum potest, præsumitur voluisse legatum illud puellæ conferri oneribus contracti matrimonij sustinendis. Sed rectius Ioan. Lop. cap. *per vestras de donation. inter vir. & vxor. not. ab. 3. §. 10. numero 6.* Sarmiento lib. 2. *select. cap. 1. numero 10.* Tiraquei. *tract. cessante causâ limitat. 18. in fine.* Spino *speculo testamentor. gloss. 14. princip. numero 152.* Zeuallos, in *luis 99. tract. 9. §. 38. a numero 6.* Gutier. cap. 11. numero 11. Sanchez, alius relatis *disputat. 91. numero 65.* affirmant siue sciente, siue ignorantè testatore femina hæc nupserit posse illi legatum prædictum conferri quia non exinguit legatum, sed potius illud firmat conditionem legati impletam esse. Argum. *leg. si nuptia 11. ff. de conditionib. & demonstrat. & pluribus exor. nat. Couaruu. cap. officij num. 20. de testament.* Neque finis legati præcipuum censendus est in præsentem deficere. Hinc namque est testatorem se beneuolum animum, & benefactorem illius feminæ ostendere qui post matrimonium contractum adhuc persecerant. Quinimo existimat Sanchez

Ferd. de Castro. *Sum. Mor. Part. 2.*

num. 66. quem sequitur Gutier. num. 11. legatum relictum consanguineis maritandis etiam dari non possit maritatis tempore testamenti, vtpotè quod incertis personis relictum sit, bene tamen dari posse iis, quæ mortuo testatore nupserint, quia ab eo tempore ius aliquale in prædictum legatum habent; neque omnino incertis personis relictum est, sed aliquo modo certis scilicet consanguineis, in quas suum affectum, & voluntatem ostendere testator potest.

PUNCTVM XIV.

De impedimento impotentia.

§. I.

Quid, & qualis sit impotentia ad matrimonium?

1. **Impotentia ad copulam est impotentia ad penetrandum vas femininum.**
2. **Multiplex est impotentia.**
3. **Variant Doctores, An impotentia, qua vincit nequit absque probabili periculo grauis morbi sit perpetua?**
4. **Communis sententia, & amplectenda asserit solam eam impotentiam, quæ absque peccato, vel morte corporali, aut illius graui periculo vinci non potest, esse perpetuam.**
5. **Si iudicio Medicorum impedimentum remoueri possit absque graui vite periculo per opus humanum, & licitum non constituitur impotentiam perpetuam.**
6. **Examinatur questio, An femina nupta, cuius arctitudinem ex Medicorum iudicio subueniri potest absque graui vite periculo obligata sit scissuram pati?**
7. **Resoluitur femina licitum esse scissuram pati, quoties absque periculo corporali eam sustinere potest.**
8. **Deinde femina, quæ nullam in se specialem arctitudinem habet obligata non est scissuram sustinere, tamen si absque illo incommodo possit.**
9. **Verum si femina præ cæteris acta sit, & conscientia huius arctitudinis contrahat cum eo qui illius est ignarus, probabilis reputo obligatam esse scissuram pati, si absque graui sua salutis detrimento sustinere possit.**
10. **Femina nunquam obligata est hanc scissuram à viro Medici inconsultis pati.**
11. **Femina, quæ ob eius arctitudinem non potuit à viro agnosci, idcirco ab eius consortio separata fuit, si postmodum probatum fuerit ab alio cognitam fuisse, affirmant plures reddendam esse priori viro nullo laboranti impedimento frigiditatis, vel masculicis.**
12. **Sed rectius alij censent ex eo factum non sumi sufficientem præsumptionem, quod potuerit à viro cognosci.**
13. **Non est impotentia perpetua ad matrimonium, esse femina sciat concipere non posse absque manifesto periculo vitæ, vel sui, vel prolis.**

Impotentia ad copulam est impotentia ad penetrandum vas femininum, & semen generationi aptum intra illud effundendi: quæ impotentia prouenire potest à natura, tam ex parte viri si sit nimis frigidus, aut calidus, quàm ex parte feminæ si sit nimis arcta vel prouenire potest ab extrinseco, ut ex castratione, vel masculicio.

Deinde hæc impotentia alia est absoluta comparatione omnium feminarum, alia respectiua comparatione huius, vel illius feminæ. Rursus alia est perpetua, alia temporalis: perpetua est, quæ absque peccato, vel corporali periculo tolli non potest per opus humanum, ut exprèsse à contrario sensu colligitur ex cap. *fraternitatis. De Frigidis, & masculicis.* ibi. *Not autem perspicaciter attendentes, quod impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter Diuinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo poterat remoueri, sententiam diuortij per errorem licet probabilem nouimus esse prolatam, &c.* Ex quo Textu Doctores communiter colligunt impotentiam, quæ solo Diuino miraculo remoueri potest perpetuam esse; quia miraculum cum sit præter rerum naturam expectari nequit, necdum comprobari, sicuti pluribus comprobatur Sanch. lib. 7. *disputat. 93. numero 8.* Gutier. de matr. cap. 11. *numero 22.* Deinde colligunt impotentiam, quæ absque peccato tolli nequit perpetuam esse quia id possumus, quod iure possumus. Cum autem peccatum iure facere non possimus, nequaquam est possibile illud impedimentum remouere, uti pluribus comprobatur Sanch. *d. disp. 93. num. 9.* Gutier. *d. cap. 11. num. 23.* Coninch. *disp. 31. dub. 7. num. 76.* Paul. Layman. lib. 5. *sum. tract. 10. part. 4. cap. 11. numero 1.*

Sed quid nomine corporalis periculi intelligatur, an mors ipsa, an illius periculum, an etiam periculum grauis morbi? variant Doctores. Aliquibus placet impotentiam, quæ vincit nequit absque probabili periculo grauis morbi esse

perp

perpetuam. Nam esto in dicto cap. *Fraternitatis* videatur periculum mortis exigi, inquit enim Textus: *Violentia inferatur non solummodo levis, sed ita gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur.* Ergo cum ex gravi morbo hoc periculum mortis eveniet, si timeret gravis morbus, etiam mors timeri debet, & consequenter impotentia, quæ vincit non potest esse gravis morbi periculo perpetua censenda erit. Sic Henricus de matr. lib. 12. c. 7. n. 6. Vega. 2. sum. cap. 34. casu 111. Alij verò sustinent solam eam impotentiam, quæ absque peccato, vel morte nequit tolli esse perpetuam, nam quæ cum periculo mortis tollitur superest persona, quæ erat impotens dici non potest perpetua, siquidem ipso facto probatur est durante vitâ tolli posse. Sic Innocentius in dicto cap. *Fraternitatis* à num. 1. & seqq. Ioann. Andreas ibi num. 16. Anton. de Butrio num. 22. & 23. Anchar. n. 16. q. 2. Cardinal. num. 5. Præposit. n. 18. & 20. & alij relati à Sanch. lib. 7. disp. 9. num. 16.

4 Communis tamen sententia, & amplectenda asserit solam eam impotentiam, quæ absque peccato, vel morte corporali, aut illius gravi periculo vincit non potest esse perpetuam, quia periculum graue mortis æquivalere. Quæ verò absque periculo grauis morbi superari non potest, perpetua censenda est, si morbus ille mortis periculum inducat, secus verò si solam grauem molestiam, & dolorem: sic Glossa communiter recepta in dicto cap. *Fraternitatis*, verbo *corporali*, Gregor. Lopez, leg. 2. in 8. part. 4. verbo *in peligo*. Matien. lib. 3. recopilat. tit. 1. Rub. gloss. 1. num. 97. Sanch. pluribus relatis lib. 7. disp. 93. num. 18. Gutier. de matr. capite 112. numero 28. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. part. 4. cap. 11. num. 1.

5 Ex his inferitur, si iudicio Medicorum impedimentum remoueri possit absque graui viri periculo per opus humanum, & licitum, tamen patiens impedimentum renuat curationem, imò nec teneatur illam sustinere non est censendum illud impedimentum perpetuum, quia impedimenti perpetuas non pendet ex voluntate patientis impedimentum, neque ex eo quòd tollatur, vel non tollatur, sed ex eo quòd spectata rei natura tolli, vel non tolli possit absque vitæ periculo, vti docuit Paludan. in 4. d. 3. q. 2. art. 2. concl. 2. num. 3. D. Antonio, 3. part. 1. cap. 12. §. 1. Dominie. Sotus in 4. d. 34. q. unica articulo 2. vers. *sed nis*, & alij plures, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disp. 93. num. 15. Quando autem Medici dubij sunt, an ex medicamentis apponendis ad remouendam impotentiam periculum mortis subest, censendum est subesse, vt rectè cum Petro de Ledesma aduertit Sanch. d. num. 15. Gutier. de matr. cap. 112. num. 27.

6 Superest tamen triplex grauis questio. Prima, An femina nupta, cuius arcitudini ex Medicorum iudicio subueniri potest absque graui vitæ periculo, vt apra viri congressui reddatur obligata sit scissuram pati? In qua questione distinguendum est, an femina præ cæteris acta sit, ob cuius arcitudinem à viro nequit cognosci, an verò ex parte sua nullam præ cæteris arcitudinem habeat: Si præ cæteris acta sit, tenentur plures relati à Sanch. lib. 7. disp. 93. num. 31. obligatam esse scissuram pati, quoties absque graui periculo mortis iudicatur fieri posse. Nam cum illud matrimonium validum sit, & ex matrimonio obligatio ad copulam oritur. Hæc autem esse non possit absque scissione, videtur obligata scissuram sustinere. Quando verò femina nullam specialem arcitudinem habet præter virginum claustrum, censet Petrus de Ledesma, tract. de matr. quest. 58. art. 2. circa finem. non esse feminam obligatam pati scissuram, aut aliam curationem subire, tamen absque graui incommodo eam sustinere possit; quia per ipsam non fiat quominus debitum reddat. Non igitur ipsi, sed viro penes quem est defectus sunt medicamenta adhibenda. Sanch. verò lib. 7. disputat. 93. num. 32. & 34. plures referens sentit feminam siue præ cæteris acta sit, siue non, obligatam esse scissuram pati, quando absque periculo grauis inhumitatis fieri potest, tamen non absque graui molestia, & dolore, hic enim videtur sustinendus, vt obligationi coniugali fiat satis.

7 Ceterum in hac re dicendum primò est aduersus Bald. lib. 7. cap. 62. feminæ licitum esse scissuram pati, quoties absque periculo corporali eam sustinere potest, quia licitum est naturam inuare ad actum honestum, vti omnes Doctores supponunt de hac questione tractantes, cum inquirent, an obligata sit.

8 Secundo dico, femina, quæ nullam in se specialem arcitudinem habet vt à viro cognoscatur præter virginum pudorem, obligata non est scissuram sustinere, tamen absque vilo incommodo eam sustinere possit. vti docuit Petr. de Ledesma superius relatus, & Gaspar Hurtado disp. 22. difficult. 7. Et Basili. Ponce, lib. 7. de impediment. caput. 62. à num. 2. Moueor, quia coniux in matrimonio corpus suum alteri coniugi tradit ad vsum coniugalem, prout à natura destinatum est, at natura non destinauit apertionem claustrum virginalem in ordine ad coniugalem vsum fieri debere alio medio quam viri pudendo, quinimo omnem alium modum vt potè extraordinarium natura abhorret, ergo non tenetur femina illo vti.

Tertiò dico, si femina præ cæteris acta sit, & conscia huius arcitudinis contrahat cum eo qui illius est ignarus probabilius reputo obligatam esse scissuram pati, si absque graui suæ salutis detrimento eam sustinere possit, in quo communi sententiæ assentior. Ducor quia sic contrahens virum decipit non manifestans ei illam difficultatem, quam ipse præsumere non tenebatur. Ergo ratione illius deceptionis obligata est ea medicamenta sustinere, quæ virginum claustrum disponant æquè aptum congressui, ac est claustrum cæterarum feminarum. Fateor tamen hanc obligationem raro contingere posse, cum vix possit evenire, quod femina sciat se præ cæteris actam esse, eiusque arcitudinem à viro superari non posse, idèoque censo ratio vel nunquam obligandam esse ad eam scissuram sustinendam, cum ipsa per matrimonium viro corpus suum tradidit apertionem, non Chirurgus. Et forte ob hanc causam nunquam iura statuerunt in litibus subortis de impotentia virginum claustrum aliquo artificio reuerari, sed solum timentiam habitationem concedunt. Signum ergo est nullam huius medijs esse obligationem.

Illud verò certissimum est etiam in doctrina Sanch. lib. 7. disputat. 93. num. 29. feminam obligatam non esse hanc scissuram à viro Medicis inconsulitis patifed illo tentante eam præstare ligno, ferro, digitis, alijve instrumento posse ad eius consortio fugere, quousque huius violentie securitatem faciat. Quippe viro datum non est portam virginum alio instrumento, quam viri pudendo releuare, maxime cum ex hac relaxatione non leue damnum salutis femina pati possit, periculùmque sit, vt factâ relaxatione adhuc committent viro non possit.

Secunda questio, An femina, quæ ob eius arcitudinem non potuit à viro cognosci, idèoque ab eius consortio separata sit, si experientia teste probatum fuerit ab alio cognitam fuisset, debeat priori viro reddi, qui nec frigiditate, nec maleficio laborabat? Asserunt Innocentius in dicto cap. *Fraternitatis*, à num. 1. & seqq. Et ibi Hostiens. num. 7. Alexand. de Neuo asserens communem num. 17. quia eo facto videtur sufficienter comprobari potuisse à priori viro illam arcitudinem superari, ac proinde validum fuisse inter illos coniugium.

Sed rectius Abbas in d. cap. *Fraternitatis*, n. 2. & 3. Et ibi Glossa verbo *similis*, & alij plures, quos refert, & sequitur Sanch. lib. 7. disputat. 93. num. 13. & seqq. Gutier. cap. 112. num. 26. censent non ex eo quòd à secundo viro cognita sit sumi concludentem præsumptionem, quod potuerit à priori cognosci, sed attendè examinandum est, & inpicendum, an secundus vir sit priori omnino similis ætate, robore, ac membro virili. Nam si in aliquo ex his dissimilis existat non est priori viro reddenda. Secus verò, si dissimilitudo probata non fuerit, nam eo casu præsumitur esse priori similis, & consequenter potuisse à priori cognosci: vti traditur in d. cap. *Fraternitatis*, ibi, *Sententiam diuortij per errorem licet probabilem nouimus esse retractam, cum patens ex postfacto quod ipsa cognoscibilis erat illi, cuius simili committetur.*

Tertia questio, An censetur impotentia perpetua ad matrimonium, si femina sciret concipere non posse absque manifesto periculo vitæ vel sui, vel prolis? Ratio dubij est, quia stante eo periculo femina est impossibilis copula, cum non possit ei absque peccato vacare. Ergo nequit obligationem ad copulam subire, quæ est matrimonij essentia. Sic docuit Henricus alius relatus lib. 12. de matr. cap. 7. num. 8. sed rectius Sanch. alios plures referens lib. 7. disputat. 93. num. 27. & 28. Gutier. c. 112. num. 17. Coninch. disp. 31. dub. 7. num. 96. affirmant eam impotentiam perpetuam non esse, quia solum est impotentia pro tempore, quo femina apta est conceptioni, cum ætate euenire possit tempus sterilitatis conuincitur manifestè eam impotentiam perpetuam non esse. Non enim requiritur ad matrimonium, vt coniuges se obligent ad reddendum debitum quouis tempore. Satis enim est si se obligent ad illud reddendum, cum legitimum impedimentum abest, alias contrahens morbo affectus, quo à debiti redditione excusatur diceretur impotentiam ad contrahendum perpetuam habuisse.

§. II.

Quæ impotentia impedimentum sit matrimonij contrahendi?

1. Impotentia perpetua, & absoluta vas femininum penetrandi, ibidemque semen effundendi de se generationi aptum, est impedimentum dirimens. Secus si hac impotentia temporaria sit.
2. Aliquibus placet esse necessarium, quod femina feminare valeat, sed non approbatur.
3. Steriles optime possunt matrimonium contrahere.
4. Senes decrepiti capaces sunt matrimonij contrahendi, si natura vel arte calere possint.
5. Senes adeo exhausti, vt iudicio Medicorum iuari non possint.